



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Praefatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

- ANNO CHRISTI 1317.
- XII. *De celebratione missarum.*
  - XIII. *Quod nullus archipresbyter, prepositus, vel pralatus inferior episcopo possit in ecclesiis sibi subiectis inquisitiones formare, accusationes admittere, vel ad priuationem procedere contra clericos earumdem ecclesiarum.*
  - XIV. *De Iudeis.*
  - XV. *De cautione recipienda ab usurariis, & de pannis recipientium usurarios ad ecclesiastica sacramenta, seu sepulturam.*
  - XVI. *De pena procurantium male ablata incerta legari sub alio nomine, seu modo.*
  - XVII. *Quod clerici & religiosi a venationibus se abstineant.*
  - XVIII. *De pena iudicium secularium, qui clericos repertos cum armis, vel in aliis maleficiis deprehensos, detentos, retinent, vel ad suum iudicem opprobriose remittunt.*
  - XIX. *Quod nullus pro eodem delicto debeat duplii pena puniri.*
  - XX. *De indulgentiis seu remissionibus.*
  - XXI. *De exequiis episcoporum nuntiandis per capitula ecclesiasticalium archiepiscopo & suffraganeis, ut devote ab omnibus celebrantur.*
  - XXII. *De beneficiis & indulgentiis concessis in Concilio, & de potestate dispensandi & interpretandi constitutiones Concilii.*
  - XXIII. *De demoniis.*
  - XXIV. *De salariis notariorum, & sigilliferorum.*

### P R A E F A T I O.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ  
Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti.  
Amen.

**Q**VANTA sint veneratione digna sacrorum Conciliorum statuta, maxime Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini & Calchedonensis, quæ, sicut quatuor euangelia, suscipere & venerari tenemur, ac sanctorum patrum aliorum Concilia & statuta, qui Spiritu sancto illuminati fuerunt, nemo est qui ignoret. Cum igitur ab ipsis sanctis patribus, in ipsis sacris Conciliis, inter cetera fuerit præordinatum & salubriter constitutum, prouincialia Concilia fieri debere, vt ea quæ correctione & reformatio ne egent, nullatenus negligantur, ita quod nec præceptis euangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum obseruaretur aduersus: idcirco nos Rainaldus permissione diuina, & apostolicæ sedis gratia sanctæ Rauennatis ecclesiæ archiepiscopus, considerantes quod quanaplures maxime viri ecclesiastici, tum ex temporū tempestate, tum ex morum corruptione & leuitate, tum ex elatione & vanitate, tum ex tenaci & auida cupiditate, tum ex crassa igno-

D iiij

30 IOANNES CONCILIVM LUDOVICVS BAVARVS  
PAPA XX. IMPERATOR.

ANNO  
CHRISTI  
1317.

rantia & negligentia, tum ex superbia & irreuerenti inobedientia, viam coheredum Christi circa grauitatem & honestatem, habitum & incessum ecclesiasticæ religioni decentes, & quam fideles & catholici habere debent, exorbitabant, pro his, quantum Deus annuerit, reformati, ad salutem animarum, quam vehementius zelamus pro diuina reuerentia, catholicae fidei vnitate & honore, prouinciale Concilium circa hæc reformanda duximus conuocandum & congregandum apud Bononiam. In quo, primo constitutiones editas & promulgatas per bonæ memorie fratrem Latinum, tunc apostolicæ sedis legatum in his partibus, & alias per fratrem Bonifacium prædecessorem nostrum, Forliuii, & nos Rauennæ & Argentæ in prouincialibus Conciliis legi fecimus: ac deinde, ipso sacro approbante Concilio, constitutiones infra scriptas duximus statuendas.

## C A P I T V L A.

### R V B R I C A I.

Cum ecclesiarum vacantium prouentuum & reddituum, ac bonorum ipsorum dispositio ad eorum ordinarios de iure pertineat, proinde duximus statuendum, quod vacanti ecclesiæ statim per ipsius episcopum œconomus debeat deputari diligens & discretus, qui redditus & prouentus ac bona ipsius colligat & conseruet, ad eiusdem ecclesiæ & successoris defuncti rectoris ipsius vtilitatem & statum. Prohibentes districte canonicis, clericis, seu patrono ecclesiæ sic vacantis, quod de redditibus & prouentibus, ac bonis ipsius ecclesiæ, se intromittere, vel disponere nullo modo præsumant, nec œconomum, ut prædiximus, ibidem per ipsum deputandum impediunt vel molestent, quo minus sibi iniunctum officium libere exequatur: nec aliter alicui eorum